

143.

00
g

23

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
**OFFICIO
PRINCIPIS EVAN-
GELICI CIRCA AUGENDA SA-
LARIA ET HONORES MINI-
STRORUM ECCLESIAE,**

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,
ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c. &c.
PRAESIDE

DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCto,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ
Consiliario, Professore Publico Ordinario,
ac Facultatis Juridicæ p. t. Decano,

IN ALMA FRIDERICIANA

P R O L I C E N T I A

Summos in utroque Jure honores & Doctoralia Privilegia
rite capessendi

IN AUDITORIO MAIORI

Horis ante 8^o pomeridianis d. 4. Novembr. Anni M DCC VII.

Publico Eruditorum examini submittet,

JOHANNES de GROIN, Clivo-Clivensis,

HALAE MAGDEBURGICAE, LITERIS SALFELDIANIS.

(xxij.)

DISSEMINATIO LUMINIS
IN UNIVERSO
MINISTERIO
EVANGELICO

Sacrum.



B. C. D.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

De,

OFFICIO PRINCIPIS EVANGELICI CIRCA AUGENDA SALARIA
ET HONORES MINISTRORUM
ECCLESIE.

SUMMARIA.

Corruptio jurisprudentie ecclesiastice in papatu, postea non
emendata, partim ob neglectum studiorum. §. I. Par-
tim ob adulacionem nimiam politicorum. §. II. Inten-
tio nostra & summa dicendorum. §. III. Excessus Cleri
papalis, quoad divitias & honores. §. IV. Subsequens de-
fectus apud Protestantes tam ratione inopie, quam
contemptus ministerii Evangelici. §. V. hodie non im-
minutus, sed auctus. §. VI. De statu ministerii lo-
quimur, non de paucis singulis. §. VII. Item de inopie
& contemptus non extremis, sed in comparatione ad
alios, aequalis vel minoris dignitatis. §. VIII. Item de Do-
ctoribus Ecclesie, non de Clericis minorum ordinum, nec
de Canonicis. §. IX. Denique de indigentia &
contemtu diversorum graduum. §. X. Quae omnia ob oso-
ribus ministerii confunduntur. §. XI. Et justitia sa-

A

lario-

2 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

lariorum ministerii Ecclesiastici cavillationibus apertis traducitur, §. XII. occasione calumniandi arrepta ex nimio studio nostrorum, cumulandi ac miscendi argumenta diversi ponderis. §. XIII. Unde melius erit abstinere ab exemplis tam profanis quam ex historiis sacra desumptis. §. XIV. Ut & a dictis scripture, tanquam in questione, cuius decisio non pendet a revelatione, sed a dictamine juris naturae. §. XV. Item a jure humano, tam Justiniano, §. XVI. & Canonico. §. XVII. quam ordinationibus Principum Evangelicorum. §. XVIII. Multo magis ab autoritatibus Patrum, Theologorum, JCtorum, §. XIX. Aliatamen methodo procedendum cum doctrine cupidis, alter cum hostibus ministerii, quorum character depingitur. §. XX. Thesis vera de honorando & Justentando ministerio ecclesiastico. §. XXI. Antithesis ororum ministerii ecclesiastici. §. XXII. Openditur, adversarii incumbere onus probandi, non defensoribus ministerii ecclesiastici. §. XXIII. Sed esse illis rationes, & nullas proferri ab iis. §. XXIV. Nisi quod subinde dicta scriptura contorte exposta in ore habeant. §. XXV. Probatio theses. Cultus religiosus in republica maxime necessarius. §. XXVI. Unde fuit obligatio Principis, ut profficiat sacerdotibus & doctoribus de sustentatione & veneratione sive honore. §. XXVII. In quo hoc loco consistat error Principum Paganorum, §. XXVIII. & abusus sacerdotum Judaicorum, §. XXIX. Revidiscentia obligationis prima & imperantium tempore doctrine Evangelica ad sustendandos & honorandos ministros ecclesie. §. XXX. Cui non obstat, quod Christus per viros

CIRC. AUG. SAL. ET HON. MINISTR. ECCL. 3

viros non honoratos & pauperes prima fundamenta
jecerit doctrina christiana. §. XXXI. Similis revi-
viscentia tempore reformationis. §. XXXII. Tran-
situs ad partem alteram theos, de damnis ex neglectu
illius obligationis in rem publicam redundantibus. §.
XXXIII. 1. Neglectus studii Theologici intuitu no-
bilium & ingeniorum excitatorum. §. XXXIV. 2. Af-
fluentia multorum vilium & pauperum, qui laborare
nolunt. §. XXXV. 3. Inde aucti in republica &
ecclesia mali mores, scandala, rixe, turbe, ipse athe-
ismus. §. XXXVI. 4. Alia incommoda & damna
plura res publica & ecclesia. §. XXXVII. Ad damna
ista emendanda non apta sunt, que dicuntur, acciden-
tia. §. XXXVIII. Fructus ex augmentatione sufficien-
te salariorum Ecclesiasticorum sperandi. §. XXXIX.
Diversa intentio osorum & defensorum Status eccl-
esiastici, dum navos statum Ecclesiasticum affidentes
commemorant. §. XL. Nova objectio osorum eccl-
esiæ: equalia damna metuenda esse, si succurratur in-
digentie ministrorum. §. XLI. ad quam responde-
tur. §. XLII. Ut & ad novam instantiam de repu-
blica in periculum non conficienda. §. XLIII. Cur
de mediis augenda salario ministrorum ecclesiæ hic non
trahetur fusus. §. XLIV. Interim ostenditur, me-
dia hac non esse adeo difficultia, si modo ministri eccl-
esiæ ipsi ea non impediunt, §. XLV. per reliquias
quarundam doctrinarum ex politica Cleri Pontifici.
§. XLVI. v. g. de bonis ecclesiæ non secularisandis
§. XLVII. & de precedentia status ecclesiastici pre-
politico. §. XLVIII. Sinceritas & utilitas horum

4 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

monitorum. §. XLIX. Aliud monitum de modo col-
lectandi apto & facilis. §. L. Qui declaratur suppe-
dirato ex parte exemplo valde commodo, §. LL.

§. I.

Corruptio
jurispruden-
tiae ecclesia-
sticae in papa-
tu, posse a non
emendata,
partim ob
neglectum
fudiolorum,



Uilibet, qui præjudiciis non plane
est occœcatus, ad oculum patet, ju-
risprudentiam ecclesiasticam ante
tempora reformationis a Clero Pon-
tificio tantum non totam esse corrup-
tam, simul vero constat, corruptio-
nis emendationem a primis ecclesiæ reformatribus
non fuisse tentatam, nec tentari potuisse, cum illi de
salute æterna, non de correctione nævorum politi-
corum, aut detectione arcanorum Cleri fuerint sol-
liciti. Unde non potuit non fieri, quin multæ con-
clusiones remanserint in jurisprudentia ecclesiastica
Protestantium, non bene cohærentes cum jure Prin-
cipum evangelicorum circa sacra, quod quidem ex
parte jam ipsis vindicaverant primi reformatores.
Interim non tam accusandi sunt, quam excusandi po-
tius Theologi & Politici illorum temporum, quod ea
non statim observaverint. Id enim partim factum
fuit, quod in Academiis tum, ex ratione status Pon-
tificiorum, vel plane non traderetur prudentia civi-
lis, vel si tradiceretur, id fieret eo modo ut nihil
doceretur, quod labefactare posset potestatem
politican papalem, sub larva potestatis ecclesiastice
& spiritualis incidentem; partim, quod Clerus papa-
lis potestatem hanc suam multis contortis, aut, si du-
xit locutio displiceat, multis allegoricis & parabolicis
expli-

CIRC. AUG. SAL. ET HON. MINISTR. ECCL. §

explicationibus scripturæ sacræ confirmaverit, verbis potius quam sensui in hærentibus, aut illustrandibus, non probantibus quod in quæstione erat. Non sentiebatur tamen illis temporibus iftarum probationum imbecillitas & insufficientia, cum diuturnitate temporis per multa saecula per traducem fuissent propagatae in animis docentium & dissentientium, & autoritas patrum ecclesiæ, quorum fervor ac pietas nota erat, qui que ejusmodi interpretationibus, quamvis plano alia intentione, usi fuerant, illis maximum pondus adderent. Etenim non intelligebatur, Patres optimos esse quidem in talibus etiam excusandos, cum eorum scopus esset, pietatem & charitatem in animis auditorum ejusmodi flosculis oratoriis excitandi, sed non facile imitandos, quum seculis istis, sub quibus Patres ecclesiæ vivebant, studia sapientiae præcipua, hoc est doctrina justi & decori, & prudentia civili nusquam traderentur.

§. II.

Accessit, quod diffiteri nequeamus, Principes *Partim ob*
Evangelicos, eorumque ministros, in primis etiam *re-adulatio-*
formationis initis, non ubique piam intentionem *re-nem, nimiam*
formatorum, pari intentione secundasse, sed multis *politicorum,*
eorum, certe non paticos, magis respexisse in opere
reformationis intereste temporale, quam salutem æ-
ternam, adeoque piis & subinde prudentibus monitis
reformatorum non semper, ut par erat, faventes au-
res præbuisse, ut vel ex tot querelis de bonis ecclesi-
asticis, & horum saecularificationis abusu perspicuum
esse potest. Nec unquam defuerunt adulatores Prin-
cipum

6 DISSERT. IN AUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

cipum, qui, sub specie vindicarum pro iuribus Principum, omnes Potentum cupiditates defendere, & iustitiam oppressorum opprimeré, atque hoc modo iura Principum illegitimo modo exdentere allaborant. Tales vero, cum ministris ecclesiæ, etiam probis, & de salute Principum & Politicorum debite sollicitis, maxime intensi esse, & eos perseguiri soleant, excusandi rursus sunt ex altera parte ministri ecclesiæ, si & ipsi aliquod humani passi fuerint, vel pro defendendis iuribus ecclesiasticis, principia non optime cohærentia, & rationes ex scriptoribus Papisticis repetendo, vel etiam non secernendo Doctores, qui absque adulatio[n]e ex genuinis fundamentis iura Principum vindicare sunt aggressi, ab ejusmodi adulatoriis, & ex non satis fundata suspicione, etiam his se opponendo. Cui errori prætextum aliquem suppeditavit, quod politici quidem de Juribus Principum circa sacra extollendis & vindicandis soleant esse solliciti, nunquam tamen aut certe rarissime ab iisdem tractari soleat de officio principum erga ministros ecclesiæ,

§. III.

Intentio nostra summa dicendum est ut genuinus sapientiae studiosus operam dabit semper, ut inquisitione veritatis extra partes & affectus positum se esse ostendat, ita & ego, in praesenti ut ostendam, me nec adulari velle potentibus, nec captare velle gratiam & favorem ministrorum ecclesiæ, de officio Principis evangelici circa sustentationem & honorem ministrorum ecclesiæ, ita me geram, ut ostendam, subinde in nostris ecclesiis hac parte

parte excessum nimium Pontificii Cleri, ad alterum
extremum esse redactum ut apud nos in defectu pec-
cetur. Adeoque principem Evangelicum, sub quo
intelligo etiam eos, qui in aliis rerum publicarum for-
mis civitatis gubernacula gerunt, esse obligatum, ut
de emendatione hujus defectus cogitet. Qua occa-
sione etiam ansa dabitur differendi quædam de medi-
is & fructibus hujus instituti, sed breviter, & quantum
ab eo exspectari poterit, qui scribit theses inaugura-
les.

§. IV.

Docet historia ecclesiastica, quibus artibus Cle- Excessus Clea-
rus Romanus sub specie paupertatis & humilitatis, ^{rippalis} ac obedientiæ immensas divitias & honorem pene quo ad divi-
divinum acquisiverit, ut hisce duobus quasi fulcris fi- tias & hono-
mul omnem potentiam super reges & principes sibi ^{res.}
superbe vindicare tandem non erubuerit. Res est
notissima, nec patitur instituti ratio, multis autoritati-
bus aut exemplis eam confirmari. Etiam jam aliquot
secula ante reformationem multæ querelæ & lites ea
de re. Inde nata Goldasto tria ingentia volumina
scriptorum collectorum de Monarchia Imperii. Fru-
stra tamen disputarunt, qui pro Princibus scrip-
runt; Frustra Imperatores, Reges, Principes mor-
bum eum resplicas graviter afficientem curare
tentarunt, quamdiu articulus ille primarius papatus,
papam esse caput ecclesiæ, ac Clerum exemptum es-
se a jurisdictione Principum, mansit inconclusus. Un-
de & hodie eadem querelæ, iidem nævi apud Princi-
pes, qui Pontificiæ religioni addicti sunt. Quare nec
de

8 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

de horum officio hic sumus solliciti, cum hi potius moneri deberent, de admendis divitiis & immintiendo honore Cleri.

§. V.

*Subsequens
defecti apud
Protestantes
ratione tam
inopia, quam
contemptus
ministerii
evangelici.*

Sed ut naturaliter fieri solet, Principes Evangelici cum excuterent, ope reformatorum primorum, istos papatus politici articulos fundamentales, atque Clerum pontificum ex monasteriis ejicerent, & loco eorum ministros ecclesiæ ordinarent, studio nimio reprimendi excessus hactenus memoratos in alterum extremum dilapsi sunt, nimium videlicet auferentes ex bonis ecclesiasticis, & nimis parum relinquentes sustentationi ministrorum ecclesiæ. Unde non potuit non simul oriri contemptus ministerii ecclesiastici. Dignitas enim & honor in vita civili plerumque ex potentia, potentia ex divitiis aestimatur. Et quamvis parum cum ratione recta conveniat judicium eorum, qui alios ob solas divitias honorant, atque etiam pauperes possint esse sapientes, eorum tamen judicium, qui de pauperibus communiter non magnifice sentiunt, a ratione recta non ita aberrat, cum sapientia regulariter non finat in paupertate vivere, nisi alii impedianter, quæ impedimenta tamen non ita facile semper incurruunt in oculos vulgi. Jam suo tempore eleganter conquestus est de paupertate ministrorum ecclesiæ Lutherus, dicens, se saepe miratum esse, cur Paulus ita diligenter inculcat, honorarium dandum esse ministris, cum tamen in Papatu homines ita prompti fuerint ad dandum, & potius dehortatione fuerit opus. Sed postea tamen se experientia didicisse,

dicisse, Pseudo Doctoribus dari affatim & abundanter, ministris ecclesiæ genuinis vix panem dari, adeoque eos, qui Christiani tamen dici volunt, hoc pacto inhumaniores esse Turcis ac Ethnicis. Et alibi pro more breviter, sed emphatice: Es wird wolbleiben/ daß die rechten frommen Prediger müssen der Welt halber nach Brodt gehen. Einen rechten Prediger oder zwee können wir nicht ernehren/ aber 100000. Münche und Pfaffen können wir wol füllen/ die uns zum Teuffel führen. Et alibi ostendit, quam coniunctus fuerit contemtus ministerii cum illa paupertate. Respondet enim objectioni eorum, qui dixerunt, divitias esse auferendas ministris ecclesiæ, ne dominentur. Solches reden sie nicht darum/ daß sie sorgen/ die Pfaffen möchten Herren werden. Sie wissen selbst/ daß sie daran liegen/ als die es greiffen/ daß dem Pfarrherren wol verboten ist Herren zu werden. Sintemahl niemand leugnen kan/ daß kein Pfarrherr etwas eignes hat an der Pfarre/ sondern seynd Gäste in den Pfarr-Gütern/ und müssen sie hinter sich lassen wann sie sterben. Und wo einer oder zweien sich vergrasen/ daß sie ihren Witwen und Weysen etwa ein Häuslein kauffen/ da sind die andern alle eitel Bettler/ lassen eitel Bettler hinter sich/ beyde an Witwen und Weysen/ und wenn sie gleich was eignes ergrasen/ müssen sie .nnoch damit hie nieder unter geringen Bürgern oder Bauren bleiben/ denn Sie mit 20. floren nicht können hochfahren noch seglen ic.

*Hodie non
imminutus
sed auctus.*

Jam autem facile constabit, defectum hunc successu temporis in nostris ecclesiis non suisse emendatum, sed potius indies ad nostra usque tempora incrementa sumissee, si quis consideret, in paucissimis ecclesiis aucta sive stipendia & salario ministrorum ecclesiæ, in multis contra &, dum partim bello, partim aliis ex causis fontes, unde petebantur, fuere destruti vel obstructi, illa salario sive diminuta. Adde, quod tempore Lutheri nondum ita luxus inundaverat Germaniam, ut hodie. Et luxus parit caritatem Annonæ. Hæc vero efficit, ut redditus annui aut salariaria, quæ antea erant sufficientia ad sustentationem familiae & ad vitam honeste transfigendam, non sufficientiam amplius, sed adigant homines ad debita contrahenda aut immediate ad mendicitatem. Jam ergo, si tempore Lutheri plerique pastores jam classi mendicantium erant annumerandi, quid de nostris hodie dicendum sit ex dictis facile poterit colligi. Sed non opus est ratiocinatione subtili, cum experientia quotidiana, etiam stultorum magistra veritatem facti sati monstret.

VII.

De statu ministerii loquuntur, non de paucis singulis. Meminisse tamen debes, cum de ministerii ecclesiastici indigentia & contemptu loquimur, de statu nos loqui, non de singulis. Neque enim concipendum est, acsi nulla dentur exempla munierum ecclesiasticorum, sufficientibus salariis ac tantum non invendis pollutum, sed partim hæc sunt rariora, si non rarissima. A potiori vero cum de statu personarum

narum loquimur facienda est denominatio. Status enim a personis, quæ in statu vivunt, non a paucissimis, sed a pluribus, denominationem divitis & egeni, honorati & contempti, sancti & profani, virtuosi & vitiosi nomen accipit, non vero singuli denominantur a statu, cum status sit abstractum morale, desumptum ab hominibus in statu viventibus. Partim etiam intuitu horum exemplorum notandum foret, an ista sufficientia aut abundantia de salariis sit prædicanda, an de accidentibus, ut vocantur. Nam si posterius esset, ut plerumque in talibus paucis exemplis occurret, id querelam Lutheri non tolleret, cum mox observaturi simus, accidentia talia & eorum conservationem in ecclesiis nostris magnam partem deberi in opia & insufficientia salariorum,

§. IIX.

Deinde dum de mendicitate & contemptu ministrorum ecclesiæ cum Luthero loquimur, natura rei pie & contemptus non ostendit, nos haudquaquam intelligere mendicitatem vagabundam & talem, quæ dixito monstrari possit, neque contemptum contumeliosum. Neque enim tanta est impietas auditorum in Protestantium ecclesia, ut tam contumeliose sentiant de ministerio ecclesiastico, aut tam inhumaniter tractent suos Pastores, ut hi ordinarie stipem ostiatim orare cogantur, & omnium lascivientium ac impiorum injuriis sint expositi. Sed ut in genere divitiae & paupertas, honor & contemptus, sunt termini inæqualitatem conditionis humanæ denotantes, omnis vero æqualitas & inæqualitas in relatione consistit; ita & cum indigentia &

12 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

contemptu ministerii comparatum est. Paupertas & indigentia hic non extrema denotant, sed deficientiam copiæ, & talem quidem, ut quis insufficiens sit, pro dignitate status sui se suosque alere, & de futuris alienamentis prospicere. Talis paupertas non statim in vulgi oculos incurrit, etsi experti rerum humanarum talia facile subodorentur. Germani dicunt: Haufarme Leute. Et tales in comparatione aliorum etiam mendici vocari solent, certe in idiomate nostræ linguae. Sie sind/ gegen andere ihres gleichen gerechnet/ Bettler. Ne putas Lutherum, & nos cum ipso flosculis Rheticis, more oratorio, rem citra veritatem aliter describere ac revera sit. Similiter per contemporanum intelligimus non tam extremam contumeliam, quam, quod ministri ecclesiæ & ipsum ministerium ecclesiasticum indignius tractentur & contemptus, quam alii homines in statu vel ejusdem, vel minoris etiam dignitatis viventes. In moralibus & politicis notum est, minus bonum induere naturam mali, & vice versa. Ergo non mirandum erit, cur minores dvitiae & minor honor induant naturam paupertatis & contemptus.

§. IX.

*Item de do-
ctoribus ec-
clesie, non de
Clericis mi-
norum ordi-
num, nec de
Canoniciis.* Ulterius dum de ministris ecclesiæ sermo nostro nobis est, constat, de doctoribus ecclesiæ non de sollicitos esse, non de universo ordine Hierarchico, qui secundum hypothesin Pontificiorum ad Clerum referuntur, neque tamen verbum Dei docent, ut sunt, Acoluthi, Exorcistæ, Ostiarii, Psalmistæ, Cantores &c. Etsi enim & hi, quatenus in ecclesiis nostris

Stris eorum usus est, æque non causam habeant, de divitiis suis multa prædicandi, & non repugnemus, quo minus & eorum inopiaz succuratur, liberum tamen nobis erit, de docentibus hic solum & sacramenta administrantibus, tanquam nobilissima ecclesiæ functione, esse sollicitos. Unde simul sua sponte sequitur, nec de Canonicis nobis sermonem esse, quatenus illi in rebus publicis Germaniæ Protestantibus tolerantur. Etsi enim hos nequaquam comparemus cum Clericis hactenus recensitis minorum ordinum, sufficit tamen, quod ex communi usu loquendi, apud Protestantes etiam recepto, non referantur inter ministros ecclesiæ, dum nec docent, nec sacramenta administrant. Unde quemadmodum jam nequaquam agimus de controversiis, quæ Canonicis eorumque statui, tam in ecclesia Lutherana, quam reformata a quibusdam motæ sunt, sed plane ab istis, tanquam a scopo nostro alienis, abstrahimus, ita etiam extra oleas vagaremur, si putaremus, ad nos pertinere, ut respondeamus ad objectionem contra indigentiam & contemptum ministerii ecclesiastici a querimonii illorum desumptam, qui, dum controversias modo dictas tractant, de fastu & divitiis Canonico-rum multa immiscere solent.

S. X.

Etsi vero de ministerio ecclesiastico evangelico. *Denique de*
rum in genere loquar, non tamen putandum est, acsi *indigenia &*
æqualem ubiq; indigentiam & contemptum supponam. *contemptu*
Sunt & hic grad⁹. Experientia docet, totac tantas quere- *diversorum*
las apud Reformatos de insufficiencia salariorū non esse, *graduum,*

quod facile patebit, si quis v. g. Gisberti Voëtii politicam ecclesiasticam cum consiliis Dedekenni aut Carpzovii jurisprudentia consistoriali conferat. Interim tamen, nec apud Reformatos timendum est, aut providendum, ne ministri ecclesiæ per nimias dicitias seducantur ad stultitiam & abusum. Sane & apud eos non-desunt querelæ, querelis Lutheri plane similes ut ovum ovo. Ita enim Lavaterus ad Proy. 3. vers. 9. 10. Dolendum profecto est, quod homines olim in simulacra sumptus infinitos fecerunt; nunc vero in viva Dei simulacra, ubi nusquam melius ponи possent, nullos faciunt. In insanias quoque substructiones monasteriorum nullum contulerunt, nunc ministris Christi vix frumentum conferunt. Confer ea, quæ mox de accidentibus dicemus. Ex iis enim constabit, comparationem, quæ intuitu inopie hoc pacto inter ecclesias Reformatas & Lutheranas forte institui possit, magis deberi accidentalium perceptioni, quam sufficientiæ salariorum. Deinde scimus etiam, in ecclesiis Lutheranis esse non aequalem indigentiam. Qui de bonis ecclesiasticis ex Lutheranis, scripserunt, annotarunt, in quibusdam Principum Lutheranorum ditionibus pauciora bona mediata fuisse secularisata, & plura relictæ sustentationi ministrorum ecclesiæ &piarum causarum aliarum. Sed & hic tamen repetenda sunt eadem, quæ modo de ecclesiis Reformatis diximus.

§. XI.

Quæ omnia, et si per se plana sint, & palpabilia, nobis tamen nemo vitio vertet, quod ea distinctius pauci proposuerimus, si cogitaveris, nusquam defuisse osores

*Quæ omnia
ab oſoribus
minifterit
confundun-
tur.*

res sacri ministerii, qui, ut malitiam suam occultent, summa imis miscere, & non solum in quæstionibus subsequentibus juris, sed & in ipso facto omnia confundere solent, quæ hactenus distinximus. Non opus est, hic accusare Wicleffum aut Waldenses, vel etiam Anabaptistas, imprimis cum de horum sententia ac intentione, necdum satis constet. (Sane Wicleffus excusatur a Tarnovio apud Dedeckenn, *Conf. Theol. vol. I. f. 985. b.* De Anabaptistarum variatione agit Voe-tius *Polit. Eccles. part. 1. lib. 4. Tract. 3. cap. 1. p. 798.*) Jam Luthero indice (supra §. 5.) hostes & invidi ministerii sunt in ipsa ecclesia Protestantium. Nec tam quærendum ubi sint, quam ubi non sint. Sunt enim ubique. In aulis, in urbibus, in pagis, imo & in scholis & aca-demiis. Hi postquam microscopio livoris usi sunt, cuius ope tenuis & humilis ministrorum ecclesiæ status ipsis ut magnificus & splendidus apparuit, non solum quotidianos discursus & consilia Principibus data, sed & doctrinam & chartam veneno hoc invidiæ inficiunt. Exemplis non est opus, cum ea sint ubivis obvia.

S. XII.

Quare nec mirandum est, quod, cum alias sola demonstratio inopie & contemtus ministerii ecclesiæ stici urgeat Principem evangelicum, ut indigentia huic & contemtu succurrat, ac de augmentis salariorum sit sollicitus, hactenus ramen cum fructu & effectu de emendatione hujus nævi nihil vel parum sit cogitatum, sed potius conquerentibus ea de re ministris ecclesiæ avaritia, ambitio, indecentia, ignavia & plura alia fuerint objecta, ac tantum non inculcatum ipsis fuerit,

fuerit, laborandum esse non mendicandum; non deberi ministris ecclesiæ ulla salario, quin potius injustum esse & reipublicæ damnosum, si salario illa exigua habetens induita continentur. Non loquor iterum de Anabaptistis, magis ex ignorantia studiorum, qua regulariter abundant, & ex nimio studio, omnia reducendi ad statum ecclesiæ primitivæ sub Apostolis, quam ex malitia aberrantium. Cum osoribus ministerii mihi res est, quorum etiam mentionem faciunt subinde consilia Dedeckenni. Recoquuntur ab his contra propriam conscientiam argumenta Anabaptistarum, & cavillationes addisolent, plane impudentes, quibus doctrina eorum, qui de salariorum, quæ ministris ecclesiæ præstantur necessitate scriplerunt, aper-te traducuntur.

§. XIII.

*Occasione
ealumniandi
arrepta, ex
nimio studio
nostrorum,
cumulandi
ac miscendi
argumenta
diversi pon-
deris.*

Ita enim fere procedere solent Theologi & JCti nostates, dum de justitia salariorum ecclesiastico- rum adversus Anabaptistarum errorem disputant, ut exemplis, tam veteri quam novis testimenti, tum & exemplis gentilium, etiam de sustentatione suorum sacerdotum valde sollicitorum, præcipue vero Pauli Apostoli doctrina utantur, sustentationem Doctorum salutis læpe & severe inculcantis vid. *Dedeckeni consilia vol. I. p. 971. sqq. Voet. d. l. pol. eccl. Carpzov. Jurispr. ec- cles. def. 96. & 97.* Hic quidem optandum esset, ut non confuse fuissent propolita testimonia, exempla, rationes, similia &c, sed ut probe distincta fuissent eadem tanquam argumenta probantia ab illustrantibus, ut quandoque tentatum fuisse probat exemplum D. Pauli

Tarno-

Tarnovii apud Dedekenum d. l. p. 983. seq. tum ut magis de paucis iisque bonis ac evidenter rationibus, quam de cumulatione plurimarum, magnam partem dubiarum, vel altioris indaginis, fuissent solliciti. Ita enim præscindissent forte adversariis multas calumniandi occasiones. Forte tamen eas non evitassent, etiam adhibita ista cautione, postquam impudentia oзорum ministerii ecclesiastici eo processit audaciæ, ut Theologos nostrates & JCtos, & imprimis Carpzovium accusent, acsi pro tuenda iustitia salariorum ministerorum ecclesiæ nil aliud afferant, quam argumenta ab exemplis Paganorum aut Judæorum, quod tamen, ut modo dictum, evidenter falsum esse, ex oculari inspectione autorum citatorum, aliorumque apparet.

§. XIV.

Sed quicquid hujus sit, observatio tamen præcedens id operabitur, ut veniam obtenturi simus ab affvetis eiusmodi cumulationib⁹ argumentorum, si visuri sint, a plerisque nos data opera abstinuisse. Id enim non studio novitatis factum, sed studio evidentiæ & evitandæ contradictionis, speciem veritatis habentis: Exempla Levitarum, Apostolorum, Sacerdotum Gentilium &c. illustrant quidem, sed non primario probant. Gentilium facta dubii juris sunt. Ordinationes de sustentatione Levitarum, doctrina Pauli de sustentatione Apostolorum sunt quidem indubii juris; Sed initio ministri ecclesiæ christianæ non sunt Sacerdotes proprie dicti, multo minus Levitæ, & nota est Pontificiorum astutia, comparationem inter Levitas &

C

Clé.

18 DISSERT. INAUGUR. DE OFF. PRINC. EVANG.

Clerum nimis extendentium, Apostolorum munus insuper fuit extraordinarium, ministrorum ecclesiae est ordinarium. Notum etiam est, nostrates non admittere exempla Apostolorum, dum Anabaptistæ ad ea provocant, quod nulla certa salario habuerint, quod eleemosynis vixerint, quod ipsi operas manuarias exercuerint, quod Petrus dixerit, aurum & argentum non habeo &c. Scio equidem multa regeri a nostris, multa etiam regeri posse. Sed neque rejicio illa argumenta, tanquam plane inutilia, saltem ab illis abstineo, tanquam a non necessariis, & non adeo evidentibus.

§. XV.

*Uit & a di-
ctis scriptu-
rae, tanquam
in questione,
cujus decisio
non pender
et revelatio-
ne; sed a di-
ctamine ju-
ris naturæ.*

Quare & in universum a dictis scripturæ abstineo, non quod scripturam non venerer, aut non pro verbo Dei agnoscam, & lumine supernaturali, monstrante viam ad salutem æternam, aut quod non arbitrer doctrinam, de salariis ministrorum, esse divini juris; Sed iterum, quod adversarii scripturam scripturæ hic opponere soleant, quod etiam Pontificius Clerus scriptura subinde abutatur, in defendendo jure sibi nequaquam competente, quod eadem lis, de qua modo diximus, hic repetatur, an dicta scripturæ recte sint applicata, ut e.g. vel ex iis patet, quæ nostrates monere solent de decimis, quas Pontificii volunt esse divini juris. Est utique sustentatio ministrorum ecclesiae divini juris; sed non est articulus fidei, ut probationem ex scriptura postulet necessitas. Pertinet sustentatio ministrorum ecclesiae ad statuta hujus vitæ. At intuitu status hujus duplex saltem agnosco jus divinum, naturale & Mosaicum forense, Poterius

rius nihil ad nos. Prius fuit ante Mosen, & cordibus omnium Gentium, scriptura etiam non utentium, inscriptum est. Ex hoc derivanda est iustitia sustentationis ministrorum ecclesiæ pro dignitate status. Unde & Paulus, dum eadem intuitu Apostolorum inculcat, non ad mysteria & testimonium spiritus provocat, sed ad similia vulgaria, & sensum communem ferientia, de bove triturante, de mercenario &c. Principia juris naturalis, unde quæstio nostra deducenda est, tam evidenter sunt, ut non timere debeamus rationes adversariorum contrarias, quarum etiam nullas proferunt.

§. XVI.

Multo minus ergo utemur jure humano, five ^{Item a jure} civili, five ecclesiastico, five Justinianeo, ^{humano, etiam} five Canonic, five Germanico. Pertinent enim illa ad argu-^{Justiniane,} mента saltem illustrantia, & adversus quæ nunquam deerunt osoribus ministerii exceptiones. Esto, Valentianum & Marcianum non injuste disposuisse. *L. 12. §. 1. C. de SS. Eccles. Salaria etiam, quæ SS. Ecclesiis in diversis speciebus, de publico hactenus ministrata sunt, jubemus nunc quoque inconclusa, & a nullo prorsus imminuta prestari, liberalitatique huic promissima perpetuam tribuum firmitatem.* Sed quid opus erit, pugnare cum adversariis, forte dicentibus, jus Justinianum non obligare Germanos, multa esse in jure Justinianeo, quæ jam sapient Papismum illorum temporum satis crassum. Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Ostenduntur fontes, unde tanquam rivulum derivavit Valentianus constitutionem suam.

C 2

§. XVII.

§. XVII.

Et Canonico; Video ex jure Canonico a quibusdam afferri sequentia. In Can. Episcopus C. 12. q. 1. decerni stipendium ministro, quantum sit satis ad vitæ necessitatem, & in Can. Clericus C. 21. q. 1. ad quæstionem, quænam ecclesia dives habenda sit, & quæ pauper, responderi, satis divitem esse ecclesiam, quæ suos ministros cum eorum familia possit alere, ita ut etiam possint esse hospitales; denique ad quæstionem, quid tandem sit satis, responderi a Glossa: id non posse definiri, rationem esse habendam loci, personæ, temporis, & alia atque alia variis personis, temporibus, & regionibus convenire &c. Vid. Gerhard Wildermanns tractat *Von Accidentien der Prediger*, c. 2. §. 6. & 7. p. 35. seq. Sed vereor, ne hic clamatur sint hostes ministerii, ea quidem in canonibus allegatis plane non contineri, sed omnia pertinere ad somnia Glossatorum. Provocabunt ad verba d. can. Episcopus C. 12. q. 1. *Habemus victum & tegumentum, his contenti simus*. Provocabunt ad verba d. can. Clericus C. 21. q. 1. *Adeo, quemlibet opus erat, & his, qui mecum sunt, ministriaverunt manus ista*. Addent cap. Clericus c. 12. q. 1. in verbis: *Qui Dominum possidet, nihil extra dominum babere potest, quodsi quippiam aliud bauerit prater dominum, pars ejus non erit Dominus*, v. g. *si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellem*, cum ipsis partibus Dominus pars ejus fieri non dignatur. Quid si urgeant, ex jure Canonico probari etiam posse excessum divitiarum, & honorum Cleri Pontificii, & in ejusdem C. 12. q. 1. can. *Duo sunt genera Christianorum 7. latere fundamentum totius Papismi &*

Mona-

Monachismi; item, dum Canonistæ dignitatem ecclesiasticam definiunt, quod sit administratio rerum ecclesiasticarum cum jurisdictione (Zieg. ad Lancell. p. 238. & 665.) satis aperte contra principia doctrinæ civilis confundi honorem cum imperio, atque adeo sub hoc involucre jus Canonicum occultasse suum imperandi pruritum. Quot & quantis novis disceptationibus hic ansa dabitur? Quibus omnibus haud erit opus, si abstrahamus etiam a Jure Canonicō.

§. XIX.

Denique, quod ordinationes Principum Evangelicorum attinet, urgebunt osores Ministerii, per eas non probari id, quod in quaestione est, sed potius allegatione earum committi petitionem principii, & fallaciam productionis testimoniū in propria causa. Accusari mores ecclesiarum nostrarum, quod repugnat rationi & praxi primitivæ ecclesiæ, item doctrinæ Christianæ. Eosdem ergo nævos taxari in Ordinationibus Principum Evangelicorum, tales mores approbantium. Et cum hæ ordinationes communiter, si non conceptæ sint a ministris ecclesiæ, saltem tamen sine consilio eorum, aut approbatione non sint publicatae, constare, non sine causa eorum allegationem referri posse ad classem testimoniorum in propria causa.

§. XIX.

Ergo etiam multo minus consultum erit autoritatibus privatorum uti, sive Patrum ecclesiæ, sive Theologorum & Ictorum noviorum temporum. Multe magis ab autoritate Patrum, Theologorum & Ictorum, initio rum.

22 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

initio hujus dissertationis notavimus, quod in scholis non tradita fuerint fundamenta genuinæ artis ratiocinandi, item doctrinæ de moribus & prudentia civili, adeoque, cum tempore Patrum ecclesiæ loco artis ratiocinandi, traderentur præcepta oratoria, declamationibus & homiliis ad populum inservientia, loco doctrinæ moralis vero & prudentiaris civilis præcepta in se quidem bona inculcarentur, sed absque ordine & connexione, tantum abest, ut fontes doctrinæ fuerint ostensi, unde omnia reliqua sint derivanda; non potuit non evenire ut in questionibus controversis ex patribus ecclesiæ facile utraque pars autoritates pro sua sententia allegare posset. Res patet ex toto decreto. Gratiano enim ad scribendam concordiam discordantium Canonum istæ infinitæ dissensiones patrum occasio dedit, quas quidem in illo toto opere distinctionibus utcunque conciliare studet, sed quo acumine id fiat, facile judicabit, qui solidioribus doctrinis est adsuetus. In specie, quod præsentem questionem attinet, confer modo dicta §. 17. De Theologis & Jctis noviorum temporum non opus est plura addere, cum illorum nemo facile sit, qui eruditissimum suorum temporum non sponte postponat eruditioni seculorum, sub quibus vivebant patres.

§. XX.

*Alia tamen
methodo
proceden-
dum cum do-
ctrina cupi-
scipulis vel auditoribus, aut in genere cum iis, qui
dis, aliter,*

Neque tamen animus est, taxare Theologos & Jctos, qui ante nos thema hoc tractarunt, quasi non bene fecerint, quod alia methodo fuerint usi. Methodus est arbitraria, & aliter versandum cum dis-

fidi-

fiduciam aliquam in nostra doctrina ponunt, aliter <sup>cum hostibus
ministerii,
quorum cha-
racter depin-
gitur.</sup>
 cum adversariis veritatis & hostibus. Cum illis pa-
 ri fiducia agunt docentes, nec tanta circumspetione
 ac cautela opus habent, in feligendis aut accuratius
 ordinandis argumentis doctrinæ. At cum hostibus
 si res sit, non possumus nimis cauti esse, præprimis
 si cum talibus, quales sunt osores ministerii. Docet
 enim experientia quotidiana, hostes ministerii, quos
 supra §. II. indicavimus, exceptis paucis simpliciori-
 bus & seduictis, esse nullius, aut si mavis, duræ, cor-
 neæ, imo ferreæ frontis, qui, et si impudentissimi sint in
 laudibus propriis ebuccinandis & calumniandis optimis,
 ac innocentibus quibusvis, tamen simul subdoli
 sunt & occulti, ad intamiam usque potentibus adul-
 lantes, & incautos, sub specie amicitiae & benevolen-
 tie, decipientes; veritatem & sapientiam semper in
 ore habentes, sed nil nisi mendacia & stultitiam lo-
 quentes; paupertatem & indigentiam commendan-
 tes aliis, in primis ecclesiæ ministris, ipsi tamen, ut
 corvi, inhiantes divitiis, easque quovis casu obliquo,
 & nonnisi vilissimis animis contuento, ad se trahentes,
 puta servilibus aut muliebribus blanditiis, & precibus,
 fraudulentis persuasionibus & mendaciis, & similibus
 modis acquirendi. Intantum, ut tota eorum vitatam
 in verbis, quam factis, sit una continua & perpetua
 contradic̄tio.

§. XXI.

Ergo adversus tales sola ratione utemur & me- Thesis vera
 thodo palpabili bonæ disputationis. Omnes popu-,, de honoran-
 li ac gentes, quas novimus, putarunt justum & deco-,, do & suspen-
 rum,, tando ministrum

24 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

perio eccles. fastico.
,,rum esse, ut illos, quibus ut sacerdotibus vel ministris
,,cultus sacri uerentur, tanquam ordinem Reipubli-
,,cæ valde necessarium, & ex præcipuis usum vene-
,,narentur, & honore vario afficerent, atque illis de
,,sustentatione honesta, & dignitatem eorum decente,
,,prospicerent. Postquam vero gentes idolatriæ
,,falsorum Deorum immersæ, ut & Judæi, veri Dei
,,cultum superstitione in opus externum vertentes,
,,Jugum doctrinæ salutaris salvatoris Christi subiissent,
,,aburdum esse putarunt, ac parum sanæ mentis in-
,,dicum, si doctores veritatis, & doctrinæ Christianæ
,,deterioris esse conditionis deberent, atque fuerant
,,sacerdotes Gentilismi & Judaismi. Tantum etiam
,,abest, ut illis succurrere potuerit, ex dictamine rectæ
,,rationis, eam venerationem ac sustentationem mi-
,,nistris ecclesiæ exhibitam, causam fore turbandæ qui-
,,etis & felicitatis rerum publicarum, ut potius sen-
,,suali evidentia cognoverint, quanta damna oritura
,,sint, si ministerium ecclesiasticum contemptui ha-
,,beretur, ac permitteretur in indigentia vivere.

§. XXII.

Antithesis
osorum mi-
nisterii ec-
clesiastici.
Jam ostendendum foret, quomodo thesi huic
sanæ doctrinæ contradicant osores ministerii. Cum
vero dixerimus, hoc hominum genus non sincere a-
gere, sed in assertionibus suis perpetuo sibi contradic-
cere, atque adeo infinitis uti fallaciis & tergiversatio-
bus, ut instar anguillarum vix prehendi possint, dif-
ficile est, eorum mentem ita proponere, ut ostende-
re possimus, ac demonstrare advocatum tam absurdæ
sententiae, præsertim, cum fateri nolint, se esse hostes
mini-

ministerii, & protestatione facto contraria putent se imponere posse incautis. Nisi tamen me fallunt omnia, eo totum negotiorum reddit, quantum ex experientia quotidiana & sermonibus corum percipere licet. Volunt Christiani ministerii conditionem plene debere esse aliam, ac facerdotum paganorum vel, Judaicorum. Horum sustentationem & honorem, non impugnant. Illos autem, ajunt, debere gratis, & sine ulla mercede ac honorario officio suo fungi, ac tenuissimis alimentis ac viatu & amictu dare esse contentos, neque haec quidem petenda aut, accipienda esse ab auditoribus, sed propria industria, & vel operibus manuariis aut agricultura esse acquirienda, neque nobiles aut in dignitate constitutos apostolos esse ad ministerium ecclesiasticum, sed relinquendum id esse infirmis ex plebe, & inter hos nullam hierarchicalm esse admittendam aut introducendam, sed, ubi ista vigeat, id esse indubitatum indicium ministerii mercenarii & parum Christiani, contra, si secundum eorum ideam formetur ministerium ecclesiasticum, nescio quam felicissimam ac plus quam Platonicam Rempublicam, & plusquam Angelicam ecclesiam spondent ac pollicnetur.

§. XXIII.

Antequam rationes utriusque partis proponamus, videndum erit, cui prae altera incumbat onus probationis. Hic autem, sive regulas bonae disputationis consideremus, sive principia juris, non a defensoribus postulari potest, ut initium faciant, sed ab osoribus ministerii ecclesiastici. Defensores, dum

Q

Ostenditur adversariis incumbere enus probandi, non defensoribus ministerii ecclesiastici.

ajunt, justum esse, ut prospiciatur ministris ecclesiæ de salario & honore sufficiente, vel justum sumunt pro præcepto, vel pro licito, stilo Grotii, pro justo insensu ajente vel negante, id est, quod non est injustum. Hic, si adversarii ministerii manerent in terminis, ut negarent, præceptum esse honorem & sufficientiam opum ministerii, non negarent tamen esse rem indiferentem & licitam, jure suo postulare possent a defensoribus ministerii, ut ipsi demonstrarent primi, & ostenderent præceptum ex dictamine rectæ rationis. Nam cum licitum & permissum sit illud, quod inter præceptum & prohibitum est in medio loco positum, quicunque afferit rem licitam esse, secundum regulas bonæ interpretationis nihil affirmat, sed negat saltem esse rem aut præceptam aut prohibitam, adeoque onus probandi transfert in adversarium tanquam se fundantem in prohibitione vel præcepto legis naturalis. At dum osores ministerii salario & honorem ministerii traducunt, ut injusta & prohibita veris ecclesiæ ministris, necesse est secundum regulas bonæ disputationis, ut ipsi doceant prohibitionem ex dictamine rectæ rationis, aut fateantur, se nihil protulisse, nisi calumnias. Adde, quod ministri ecclesiæ evangelicae jam per aliquot secula sint in diuturna & immemoriali possessione percipiendi salario & fruendi honoribus ecclesiasticis, et si non omnino sufficientibus & tantis, quantas dignitas muneris postulat. At jure Gentium & naturali possessores tales privilegio quietis gaudent, ut ipsi non teneantur iustitiam possessionis suæ docere. Ergo etiam ex hoc capite in-

cum-

cumbit osoribus ministerij ecclesiastici, qui tantilla hæc
salaria, & exiguos honores invident ministris evan-
gelicis, ut rationes reddant, turbatæ, quantum in ipsis
est, quietæ possessionis,

§. XXIV.

Age ergo videamus, quid proferant adversarii, *Sed deesse*
ut examinare illud possimus & circumspicere, quid *illæ rationes*,
ad id responderi debeat. Verum frustra rationes ab *nullæ pro-*
iis exspectabis, qui omnem ejurarunt rationem. Neque *ferrari ab iis.*
ullas proferunt, cum nullas habeant, sed volunt sibi
invenientibus in ministros ecclesiæ, absque ratione
credi. Pronunciant tanquam prætores essent, qui, et-
iam dum inique jus dicunt, jus tamen faciunt. At
præturæ hujus nullum diploma ostendere valent.
Platonicos imitantur & Plotinum, qui ex Platonicis
sub imperatore Galieno petebat, urbem sibi construi,
ad ideam Platonicæ Reipublicæ instituendam. Ita
toti quanti quanti sunt, somnia sibi fingunt felicissi-
mæ scilicet ecclesiæ, si cum paupertate & vilitate per-
petua luctentur ministri Evangelii. Sed cum inde-
corum sit cum larvis pugnare & somniis, & infelicitas
ecclesiæ pariter ac Reipublicæ, ubi paupertas mini-
stros ecclesiæ premit, ex infra dicendis in oculos non
plane cœcorum incurrat, nolumus hoc loco isti rei
diutius immorari, quin potius, præstabilit inquirere in
fontes hujus evidentissimi erroris. Nullus enim er-
ror tam crassus est, qui non causas suas habeat pri-
ma frontes speciosas.

D 2

§. XXV.

§. XXV.

*Nisi quod
subinde dicta
scriptura
converte ex-
posita in ore
habebant-*

Scilicet, ut in omnibus penè quæstionibus juris naturalis evenire solet, de quibus controversia mota est ab eruditis, fere unica & perpetua causa errorum est tortura & mala explicatio verborum scripturæ. Torturæ vero hujus, uti omnium errorum, duplex origo est, una ex parte intellectus, ignorantia & negligētus disciplinæ moralis & prudentiæ civilis, de qua statim §. I. actum, altera ex parte voluntatis, affectus, odii vel amoris irrationalis, de quo fusius subinde egit B. Spenerus in vindiciis quorundam locorum scripturæ ab abusu consueto, in idiomate Germanico scriptus. Notum est, in quæstione præsenti ab Anabaptistis contra ministerium ecclesiasticum allegari solere dicta varia scripturæ: Gratis accepistis, gratis date Matt. X. v. 8. Ne vocemini magistri Matt. XXIII. 10. Argentum, aut aurum, aut vestem nullius concupivi, imo ipsi nostis, usibus meis & iis, qui mecum sunt, manus istas ministrasse Act. XX, 33. 34. Neque gratis panem edimus acceptam a quoquam sed cum labore & æratura nocte dieque laborantes, ne quem vestrum gravaremus II. Thess. III. 8. Habentes alimenta & quibus tegamur, his contentierimus. &c. Sed notum etiam est, quid ad illa dicta soleant respondere Theologi pariter & Jcti protestantes supra §. 13. citati. Hostes ministerii quod attinet, et si haud dubie sint protestaturi, se esse orthodoxos, & nequam velle arare virtulo Anabaptistarum, ubique ramen in discursibus suis dicta illa scripturæ immiscere solent, ut adeo vix illa inter Anabaptistas, & illos in

NXX

hac

hac questione sit differentia, nisi quod priores magis ex ignorantia, quam malitia, hi vero magis ex odio, quam ex ignorantia, aut, si mavis, ex ignorantia affectata dictis illis scripturæ soleant abuti. Abusum vero textuum hic esse evidentem, cuilibet patebit, si modo antecedentia & consequentia textuum adspiciat, & cum thesi ac antithesi conferat. Tunc enim apparebit, Anabaptistas & hostes ministerii, vel non probare, quod probare volunt, vel si videantur probare, mutare statum controversiæ. Si distinguas inter licitum & præceptum, (aut prohibitum) inter præcepta Justi & decori, inter officia auditorum, & ministrorum &c, facilissime omnes nodos solvere poteris. Ita licitum quidem est ministris ecclesiæ, si ipsi laborent, & ab auditoribus non accipiant salarium, sed propterea tamen id ministris non est præceptum, nec auditoribus dare salarium prohibitum. Ita arte conventionem non est injustum, nihil dare ministris futuri, aut promittere, sed tamen non est humanum, decorum, laudabile. Ita ministri non debent inhiare divitiis & salariis, propterea tamen auditores non debent abstinere a sustentatione sufficiente ministrorum. Reliqua reservamus conflictui.

§. XXVI.

Ergo cum hostes ministerii nil nisi vanas, disputationes & inanæ verborum ampullas, ac rhetoricas exclamations, aut interrogations proferre soleant, possemus quidem plane abstinere a probatione theses cultus religiosus in republica supra §. XXI, positæ, nisi amor veritatis & commiseratio eorum, qui facile ab osoribus ministerii possint seduci

seduci, nos adigeret, ut claram & distinctam percepcionem theses etiam in aliorum animis conaremur accendere. Res ita se habet: Etsi religio primario non respiciat salutem temporalem, sed æternam, cultus tamen divinus, internus pariter ac externus eam relationem habet ad rem publican., ut sine ejus inculcatione & exercitio necesse sit, omnes civitates & res publicas in perpetuis turbis, eis non apertis, saltem gliscientibus & quasi sumantibus, ac prima occasione in flamman erupturis, laborare. Etsi enim paucissimi Atheorum speculativorum, (ut Spinoza) ex naturali temperamento sanguinis, accendentibus profundis speculationibus, turbas abhorrentibus, magis ad quietem, quam inquietem inclinent, plerique tamen homines ita ad turbandam pacem communem ductu affectuum suorum inclinant, ut illi non possint reprimi, ne actionibus exterioribus aliis damnum dent, nisi duobus mediis, pœnis humanis, ubi actus testes habent, aut sui vestigia autorem indicantia post se relinquent, & metu numinis seu pœnis divinis, intuitu aetuum clandestinorum. Qui posterior si non foret, solæ humanæ pœnæ non sufficiens essent ad reprehendos conatus inquietorum, cum & infinitæ dentur occasiones alios lædendi clanulum, & sagacitas ac astutia ingenii humani tanta sit, ut mille modos clanulum quid commitendi excogitet, aut saltem ex nimia cupiditate clandestinitatem speret, ac sibi promittat. Adde, quod intuitu aetuum publicorum multi in civitate a pœnis humanis eximantur potentia, fraude, donis &c. quorum cupiditates pariter nullum frenum

frenum fortius injici potest, quam metus poenæ di-
vinæ, tam intuitu hujus, quam futuri seculi. Res pla-
na est & evidens. Neque ea nostra est intentio as-
serendi, quod religio sit purum inventum civile, sed,
quod ipsa potius ad omnia sit utilis, & vel maxime ad
vinculum societatis civilis. Meminisse etiam debes,
quod & cur supra nobis proposuerimus, decisionem
hujus questionis ex solo jure natura nos desumturos
esse. *Vide* §. 15. & 21. Ut enim Deus dictamina re-
ctæ rationis indidit homini quoad reliqua capita juris
naturæ, ita etiam indidit ea, quoad cultum religiosum,
etiam ante constitutas civitates, quæ dictamina com-
muniter nomine religionis naturalis (veræ etiam, et si
non salvificæ) venire solet. Ut vero metus iste nu-
minis in animis hominum perpetuo excitetur, opus
est non solum doctrina, sed & cultu religioso externo.

§. XXVII.

Utrumque officium cum perpetuo & quotidiani ^{tunc} fluit
usus sit, requirit id certum hominum in civitate or-
dinem, qui huic cultui ac doctrinæ destinentur, &
quæ intuitu utriusque agenda sint, peragant. At hæc
totum hominem requirunt, nec tantum otium relin-
quant, ut qui ipsis functionibus destinantur, aliunde si-
bi sustentationem acquirere valeant. Aut, si maxi-
me id fieri tenuiter possit, turpe tamen esset & inde-
corum, ac inhumanum, ut, qui pro utilitate commu-
ni & publica laborant, non æque, ac aliij publica cu-
rantes sustententur ex æario aut bonis publicis. Nec
vietus & amitus (cum reliquis, quæ ad usum vitæ quo-
tidianum pertinent,) cenuis his debetur. Cum enim cul-
tus

32 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

tus religiosus etiam consistat in reverentia divini numinis & veneratione, ac ea in re imperantes debeant subditis praेire bono exemplo, nunquam intentio illa obtineretur, ut sacerdotes & doctores morum & religionis a populo venerarentur, si admitterent imperantes, ut cum paupertate & tenui vita luctarentur iidem, aut, si ipsius extera veneratione veneracionem populi non excitarent. Unde nec conveniens scopo est, ut vilissimi de plebe ad haec munera admittantur, tantum abest, ut solis hisce via ad ea pateat, &c.

§. XXIX.

*In quo hæc
parte confi-
stat error
Principum
Paganorum.*

Ergo in eo non peccarunt pagani principes, quod doctrinas modo memoratas intuitu sacerdotum suorum observaverint, aut quod ansam & occasionem dederint sacerdotibus, divitiis & honore abutendi, cum alias optimæ etiam actiones omittendæ forent, cum nihil sit tam bonum aut justum, unde stulti non sumant occasionem eo abutendi. Peccarunt tamen sacerdotes abutentes. Peccarunt principes, ab usui huic faventes ad stabiliendam tyrannidem & suppressionem nimiam civium. Utraque pars operam quidem dedit, ut minime populus atheismo inficeretur, sed ut cultus religiosus externus floreret quam maxime; sed ad propositum tamen abusus scopum obtainendum loco veræ & rationabilis religionis, supersticio varia & irrationalis populo fuit inculcata. Alias enim nec sacerdotes nec Tyranni populum, ac tandem etiam sacerdotes ipsos principes ad cœcam obedientiam & subjectionem non potuissent adigere, nisi

nisi sub specie religionis ipsos prius ratione privalent. Ita vero habitus religionis ad rempublicam, si non magis, saltem æque fuit inutilis redditus, acsi populus in atheismo theoretico fuisset relictus, cum populo fuerit incalcatus metus divini numinis, sed talis, qui non deterreret a vitiis rempublicam turbantibus, (ut potè cum nullum scelus sit, ad quod Gentiles suorum Deorum exemplo non fuerint excitati,) verum, qui saltem deterreret populum, ne jugum coecæ obedientia exenterent, sed potius eos adigeret, ut sumمام suam felicitatem putarent consistere in hoc servili & irrationabili obsequio. Unde id evenit, ut populus supersticiosus plerumque in atheismum, quem practicum dicere solemus, fuerit prolapsum, i. e. ut crimina quietem reipublicæ turbantia tantum non aperire aut plane sub specie pietatis commiserit. Horum ergo sacerdotum opibus & honore abutentium sustentationem publicam & venerationem nequaquam defendimus, sed dolemus.

§. XXIX.

Cum populo Judaico & ejus sacerdotibus res *Et abusus sa-*
fere eodem se habet modo. Dinium & sapientissi-*cerdotum Ju-*
mum institutum est sustentatio Levitarum ad suffici-*daicorum.*
entiam, magis, quam tenuem necessitatem ordinata,
addita iis dignitate & honore insigni. Sed & illis suc-
cessu temporis & potissimum sub regibus in Israel &
Juda, item post captivitatem Babyloniam, sub tem-
poribus Imperii Persici & Romani, pariter abusi fu-
ere sacerdotes Judaici, in tantum, ut dissidia inde in
Republia Judæorum oriunda in historia excidii Hie-
ro-

rofolymitani inter causas ultimi interitus hujus Republicæ memorari soleant. Et quamvis Supersticio, quam sacerdotes Judaici populo instillaverant, tam horrenda mendacia de natura divini numinis non effinxerit, ut factum erat a sacerdotibus paganis, historia tamen ecclesiastica satis testatur, sacerdotes populum Judaicum seduxisse in eam persuasionem, acsi cultus externus, qui excitatio debebat esse ad cultum internum & præcepta juris naturalis servanda, solus sufficeret; id est, ut norma ac media felicitatis solum æstimarentur ex divitiis & honore sacerdotibus datis & exhibitis, unde idem atheismus practicus in populo Judaico fuit ortus, qui deprehendebatur apud reliquas gentes. Ergo & de sustentatione ac honore sacerdotum Judaicorum bonis illis abutentium idem esto judicium.

§. XXX.

*Reviviscen-
tia obligatio-
nis primeva
imprantii-
um, tempore
doctrina
Evangelica,
ad sustentan-
dos & hono-
rando mis-
fros eccl.
siae,* Ita universum humanum genus, Gentiles pariter atque Judæi, corruptum erat, non solum intuitu luminis revelati, viam ostendentis ad acquirendam salutem æternam futuri seculi, sed & intuitu luminis naturalis, manuducentis homines ad obtinendam tranquillitatem animi respectu vitæ præsentis. Igitur salvator ac Redemptor generis humani, Deus & homo Christus non solum reparavit doctrinam supernaturalem de felicitate æterna, sed & correxit errores hominum circa dictamen rectæ rationis, ac restauravit ius naturæ & doctrinam de vera felicitate in hac vita, atque misit Apostolos suos, ut doctrinam hanc salutarem Judæis pariter & Gentibus universis prædicarent.

carent. Qui & ipsi ordinarunt apud gentes & Ju-
dæos doctores ecclesiæ & inspectores morum , qui
doctrinam istam ulterius propagarent. His igitur
æque obligati erant auditores prospicere de salariis
sufficientibus & veneratione, quæ deberetur mini-
stris vere divinis, ex iisdem regulis æquitatis & deco-
ri, quas jam indicavimus §. 27. Unde tantum abest,
ut principes Christiani, quam primum veritatem do-
ctrinæ Evangelicæ agnoscerent, peccaverint contra
dictamen rectæ rationis, aut aliquid, quod repugnaret
regulis prudentiæ civilis, commiserint, ut potius eas-
dem regulas graviter violassent, si eos passi fuissent
ulterius in paupertate & contemtu vivere. Quare
evidenter erroneum est, inculcare , quasi populus
Christianus obligaretur vel ex regulis juris naturæ,
vel ex principiis prudentiæ civilis, ut patiatur mini-
stros cultus divini deterioris esse conditionis , quam
sunt alii officiales in Republica , qui salutem reipubli-
cæ saltem temporalem in aliis negotiis industria sua
promovent. Foret enim id indicium infallibile sum-
mæ in humanitatis & ingratitudinis. Quin potius,
cum regulæ gratitudinis evidentissimæ postulent, ut
quo maius est beneficium Reip. præstitum , eo ma-
jor etiam debeat esse gratitudo eorum, in quos bene-
ficium illud redundat, sua sponte etiam sequitur, ut in
Republica Christiana post principem, (qui caput Rei-
publicæ & rector universi populi atque ita etiam mi-
nistrorum ecclesiæ est,) nullus alias ordo majore ho-
nore ac majore liberalitate colatur, quam ministri ec-
clesiæ. Dico liberalitate & honore, non prodigalitate

& honoris profusione, unde non id volo, quasi ministri ecclesiæ debeant devitiis & cultu irrationali cumulari, cum omnis profusio, & prodigalitas regulis prudentiæ & decori repugnet, sed quod omnes honores & liberalitates in Republica prudenti dispensatione ita debeant temperari, ut ubique frugalitas & moderata sufficientia, tanquam medium inter duo extrema, sorditiei & luxuriæ eluceat.

§. XXXI.

*Cui non ob-
stat, quod
Christus per-
vivos non
honoratos &
pauperes pri-
ma funda-
menta rece-
rit doctrina
christiana.*

Neque dictis obstant, quod tamen Christus, qui est caput ecclesiæ spirituale, nihil disposuerit de salarys istis sufficientibus & honore ministerii, quin potius Apostolos suos & Apostoli iterum alios hortati fuerint, ne inhinent divitiis, ne ambiant honores publicos, & insuper per homines pauperes, & non honoratos primitus curaverit propagari doctrinam Evangelii. Ex eo enim nequaquam sequitur, quasi obligatio populi in republica christiana non sit eadem, vel certe similis obligationi populi Judaici intuitu Levitarum. Sed potius in factum fuit partim, ut aliquo modo convincerentur homines de divinitate Christi, & de divina veritate religionis Christianæ, quod caput latius exponere solent Theologi evangelici, & qui de veritate religionis Christianæ scripserunt, Eusebius, Mornæus, Grotius, aliquique; partim, ut ostendatur differentia inter religionem Judaicam & Christianam, ac inter personam Mosis & Christi, quod fusius exposuit Pufendorfius, *de habitu religionis Christianæ ad Remp. §. 12. seq.* & quod Christus respectu felicitatis hujus vitæ non personam Principis, sed Doctoris gesserit. Id. *ibid. §. 16. & 17. Doc-*

ce

cet insuper doctrina pariter moralis & prudentiae civili, non pugnare inter se officia gratitudinis & eorum, quibus gratitudo exhibetur, vel declaratur, et si utrobius videantur actiones ipsae plane esse oppositæ. Gratitudo obligat ad promptissimam & sinceram declarationem liberalitatis & venerationis ergo eos, qui beneficio nos affecerunt. Contra modestia & sufficiencia dictitat iis, quibus talia offeruntur, ut liberalitate & honore oblatu non avide & ambitiose, sed modeste utantur. (a)

E 3

§. XXXII.

(a) Quamvis in re plana & evidente testimonii sapientum haud sit opus, tamen in confusione hostium ministri, qui Christiani esse volunt, & tamen istam obligacionem utramque confundant, non possum non allegare, ex Seneca Etrnico sequentia loca. De promptitudine dandi elegans locus est l. 1. de benefic. c. 5. Non potest beneficium manu tangi, animo cernitur. Multum est inter materialium beneficij & beneficium. Itaque nec aurum, nec argentum, nec quicquam eorum, que a proximis accipiuntur, beneficium est, sed ipsa tribuentis voluntas. Imperiti autem id, quod oculis incurritur, & quod traditur, possidentque, solum notant; contra illud, quod in re carum atque pretiosum est, parvi pendunt. Et l. 2. c. 1. Sic aemus quomodo vellemus accipere. Ante omnia libenter, cito, sine ulla dubitatione. Et mox: Gratissima sunt beneficia parata, facile occurrentia, ubi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia. Primum est, antecedere desiderium cuiusque, proximum sequi. Illud melius, occupare, antequam rogemur, quia cum homini probo ad rogandum os concurrat, & suffundatur rubor, qui hoc tormentum remittit, multiplicat munus suum &c. De modestia & moderatione eorum quibus liberalitas & honor offeruntur idem. lib. 2. c. 27. Non patitur aviditas,

§. XXXII.

*Similis revisio
viciencia
tempore re-
formationis.*

Ergo primi principes Christiani satis fecerunt debito gratitudinis & beneficentiae, dum liberalitatem suam & venerationem ministris ecclesiae abunde testati sunt. Utinam etiam ab aviditate, avaritia & ambitione abstinuissent ex sua parte ministri ecclesiae. Utinam Clerus non incidisset iterum in peccata sacerdotum Ethnicorum & Judaeorum, ac populum loco veræ sapientiae non seduxisset iterum in superstitione.

quenquam esse gratum. Nunquam enim improbae spei, quod datur, satis est. Eo majora cupimus, quo majora venerunt, multoque concitacione est avaritia in magnarum opum congesu collocata: ut flamma infinito acrior vis est, quo ex maiore incendio emicuit. Æque ambitio non patitur, quenquam in eamensura honorum conquiescere, que quandam ejus fuit impudens votum. Nemo agit de tribunatu gratias, sed queritur, quod non est ad preturam usque perductus, nec hac grata est. Si deest consulatus: Ne hic quidem satiat, si unus est. Ultra se cupiditas porrigit, & felicitatem suam non intelligit, quia non, unde venerit, respicit, sed quo tendat. Omnibus his vehementius & importunius malum est invidia, quenos inquietat dum comparat &c. Vides Senecam probe agnoscisse, non pugnare inter se obligationem populi ad sustentationem & honorem ministris ecclesiae exhibendum, & obligationem ministrorum ecclesiae ad verecundam acceptationem & cavendam aviditatem. Sed ista vereor, ut intellecturi sint Hostes ministerii, quia non sentiunt. Nunquam verecundia erubuerunt, quia invidia & aviditate pallent. Nec sentient, Senecam in hoc ultimo loco eos graviter depinxisse, quia nimio amore sui occœcatis non vident. Unde nec speculum aut pictura ipsius usui est.

sitionem & atheismum practicum plusquam ethni-
cum. Sed dedit tamen & his malis Deus finem, ex-
citatis reformatoribus ecclesiæ, & revocata doctrina
de salute æterna ad puritatem pristinam. Igitur re-
viviscente doctrina sapientiæ non poterat non revi-
viscere obligatio ad largam sustentationem ministro-
rum ecclesiæ, & promissimam venerationis exhibi-
tionem.

§. XXXIII.

Vindicavimus haetenus moralitatem & iustitiam *Transitus ad*
sustentationis & honoris ministrorum ecclesiæ. Re-
parat jam altera pars theeos (*supra* §. 21.) de utilitate & ram theeos,
prudentia hujus sustentationis & venerationis. Ubi de *damnis ex*
quidem non erit opus prolixè demonstrare usum ejus.
dem in republica, cum regulariter bonum verum ho-
nestum & utile non sint separata, nec in statu ordi-
nario hominum separari possint, (ut ostendit Dn. Pre-
ses Part. I. Ethices cap. 1.) quemadmodum etiam jam
supra §. 26. ostendendo fundamenta obligationis, de
qua agimus, simul ostendimus usum. Sed cum ta-
men doctrina de oppositis rem magis illustreret, non
injucundum erit paulo distinctius speculari damna
reipublicæ & ecclesiæ, quæ ex négléctu obligationis
illius oriri solent. Ita enim simul patebit, somnia ho-
stium ministerii de felicissima ecclesia, ubi ministri
cum paupertate & vilitate luctantur, vere esse somnia,
Intelligetur autem assertio theeos de istis damnis eo
facilius, si modo consideraverimus, quænam damna
in ecclesiis Protestantium ex sustentatione ministro-
rum ecclesiæ parcius saltem suppeditata, & honore ne-
gli-

glibentius exhibito reipsa orta sint. Hinc enim stupidus esset, qui non inferret, longe majora damna timenda esse, si, quod volunt osores ministerii, ministri ecclesiae relinquendi sint in extrema paupertate & vilitate.

§. XXXIV.

Ac initio quidem historiæ docent, & firmat quotidianæ experientia, olim ante reformationem non de fuisse Regum, Principum, Comitum, Baronum, ac nobilium liberos, qui studio Theologico darent operam, ut nec hodie in Papatu desunt. At si statum ecclesiasticorum Protestantium respicias, deprehendes, post reformationem in ecclesiis Protestantibus sensim defecisse exempla similia, ita ut hodie fere exulent. Deprehendes, comparando ecclesiis ipsas Protestantium inter se, quod, quo major fuerit negligentia prospiciendi ministris ecclesiæ de salario sufficiente, eo rariora etiam sint exempla Pastorum & Doctorum ecclesiæ ex ordine nobilium, *Conf. supra §. 10.* Similis est ratio inter ordines ignobiliores hominum divitum & ingeniorum excitatorum. Nam & horum exempla rariora sunt, et si non sint ita rara, ut hominum nobilium. Nec ratio longe querenda est. Debeant equidem illi, qui se ad munus ecclesiasticum applicant, ut omnes reliqui cives, scopum unicum studiorum & actionum sibi proponere gloriam Dei & utilitatem proximi. Sed debebant. Sunt æque homines ac alii. Ast quam pauci in toto humano genere sunt homines, tantum abest, ut Christiani. Non nascuntur, sed fiunt, & ope quidem supernaturali, non viis humana-

nis Christiani. Alii intruduntur in studium Theologi-
cum ex voluntate, s^epe ex superstitione parentum, alii id
ex aliis rationibus eligunt. Paucissimi ex illis, quos
nominavimus finibus. Imo posito etiam, plerosque
id facere, ac ambitione & avaritia eos carere, nimia
tamen & non solum vires humanas, sed & prope di-
xerim exempla hominum excedens sanctitas est, ab-
negare honorem & dignitatem præsentem, aut relin-
quere sufficientiam, qua^e ubique se offert, & incum-
bere ministerio ecclesiastico in spem futuri conte-
tus & strenua esuritionis. Ut adeo revera nihil ma-
gis insipidum sit, & a sensu communi experientiæ quo-
tidianæ plane alienum, quam si quis principi suasurus,
ut eo laboraret, quo ministri ecclesiæ in perpetua vilita-
te & egestate vivant, ei polliceretur, nunquam de-
fuisse, nec defuturam unquam esse copiam eorum,
qui absque spe ullius salarii & dignitatis solo divinæ
gloriæ & amoris humani studio excitati officia Do-
ctorum veritatis sponte sint suscep*turi*. Rara avis in
terris ejusmodi genus hominum, & forte non nisi in
insulis aureis inveniendum. Ipsæ scholæ, in quibus
tamen sedes sapientiæ esse deber, testantur contrari-
um. Neminem observare licet, qui volit gratis fun-
ctione publica fungi, nisi forte in spem futuræ promo-
tionis aut in occasionem impudentioris mendicitaris.
Certe ministri ecclesiæ sibi persuadebunt, quod oso-
res eorum non cogitent de propria natura, si tali me-
dio termino velint potentibus persuadere ulteriore*m*
neglectum faci ministeri.

F

§. XXXV.

§. XXXV.

2.) Affluen-
tia multo-
rum vilium
& paupo-
rum qui la-
borare no-
tunt.

Sed nunquam tamen defunct candidati munera ecclesiastici etiam apud protestantes, imo abundant. Ita quidem est, sed fluit ex præcedente observatione, illam abundantiam oriri exinde, quod rationes, quæ nobiles, divites, & ingenuos deterrent a studio Theologico, excitent contra pauperes, ignobiles & servi-
lis ingenii homines, ut in majori copia accedant ad ista studia. Testatur id experientia quotidiana in omnibus Protestantium Academiis, nullam facultatem magis abundare studiosis pauperibus & vilioris conditionis, quam Theologicam, & quæ Theologiae maxime ancillatur, Philosophicam. Neque pauperibus saltem & vilibus, sed & stupidioribus & minus ingenuis, ira ut nemo sit tam stupidus, quin putet se idoneum satis esse ad munus ecclesiasticum & studi-
um Theologicum. Rationem quæris, dicam. Multi sunt inter pauperes & vilioris conditionis homines æque ut in aliis statibus avari, ambitiosi, desides ac otiosi. Hi vident a tenera juventute, laborandum esse rusticis, opificibus, & mediis generis hominibus, qui quotidiana mercede viatum quærunt: Et interim tamen eos semper esse infimos in Republica ac præ-
ter panem quotidianum vix acquirere, quæ seponere possint in usum senectutis. Contra vident quotidie otiosissimum & desidem quemque, si faventem Pa-
tronum habeat ad functiones ecclesiasticas adspira-
re, vel etiam eos decipit vox otii Academicorum vel erudi-
tum, neque sentiunt, quanta industria opus sit studioso ad

ad acquirendam sapientiam. Vident Pastores Evangelicos, et si non magnopere honorentur, esse tamen in majore honore quam patres suos, rusticos & offices &c. Placet illis, quod videant pastoribus licere vitia publice taxare, alios reipublicae ordines id sine metu pœnæ non audere. Placent illis accidentia quæ vocantur, ecclesiastica, quæ absque ullo sudore acquirunt, aut certe cum minore, quam quem excutit labor rusticorum, bajulorum, opificum. Accedit, quod videant, studiosos immunes esse a militia, quam peste magis timent ob varias rationes, nec melius eam effugere se possè arbitrantur, quam si fiant studiosi. Quod vero præ reliquis magis placeat studium Theologicum, causa est, vel quod credant ad hoc studium minoribus sumtibus, minore industria, minore tempore opus esse, vel quod videant sui similes facilius pervenire ad officia ecclesiastica, quam politica, vel aliis ex causis.

§. XXXVI.

Docet porro experientia ab ejusmodi studiosis, ^{3.)} Inde au-
si postea muneribus ecclesiasticis applicantur, non ex-
pestandum esse exemplum vitæ & emendationem ^{& in Rep.} Ecclesia
morum, sed, uti pariter quotidiana exempla probant, ^{mali mores,}
in Academiis, ejusmodi pauperes studiosos omnium rixe, turbae,
dissolutissime vivere, aut certe inter dissolute viven- ^{ipse atheis-}
tes majorem esse pauperum, quam divitum & honora-
tiorum numerum, ita potius ex talium promotione
timenda est impudentiae & morum parum mo-
ratorum propagatio, item scandala, rixæ, tur-
bæ,

44 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

bæ , ito ipse Atheismus. Quippe cum omnes vi-deant, & palpent, cum doctrina ejusmodi hominum non convenire vitam, multi sunt, qui de natura actionum humanarum, propter nævios Scholarum nostrarum parum sunt informati, & sibi persuadent, tales ministros non credere, quæ alios docent. Absit equidem, ut pauperes & inferioris fortis homines solos pro vitiis & inutilibus terræ ponderibus habeamus. Absit, ut virtutem & sapientiam metiamur ex divitiis aut dignitate status. Absit, ut pauperes & viliores ab omnibus honoribus & imprimis ecclesiasticis velimus exclusos esse, interim tamen, cum exempla quotidiana assertum hujus paragraphi firment, necesse est, causam aliquam subesse, ex regulis rectæ rationis deducendam. Nimur neque divitiæ, neque paupertas sunt qualitates, virtutem aut vitium sua natura producentes. Et verum est illud antiqui sapientis dictum : Paupertatem sæpe esse bonæ mentis comitem & multos periisse, nisi paupertas eos ad virtutem stimulasset. Interim tamen non negandum est, ut divitiæ ad multa mala irritant, ita pauperes carent ailio intuitu mediis quibusdam reprimendi affectus vitiros. Divites & honoratores a quibusdam vitiis absurtenant metu danni & infamiae, vel pudore. Pudor in multis casibus præsupponit mores civiles. At pauperes regulariter in moribus civilibus non educantur, nec amissionem famæ aut honoris, quibus carent, metuere possunt. Nec mulctæ aut relegationis pœnam metuunt, cum sint cives mundi & noverint le-

gem

gem antiquissimam, nihil habentibus nihil auferri posse. Sentiuntur veritatem assertionis nostræ ipsa ministeria, consistoria, & aliae societates ecclesiasticæ; sentiunt collegia Politica, si contingat, ejusmodi characteris homines desertis studiis sacris transfugere ad alios ordines. Hinc rursus difficultibus nugis adscribi debet perswasio hostium ministerii, acsi continuata paupertas & vilitas ministrorum ecclesiæ avaritiam, ambitionem & luxuriam in exilium ejecituræ, & summam adeo felicitatem ejectis his tribus generis humani furiis allaturæ fuissent;

§. XXXVII.

Quin potius, si omnia damna & incommoda, 4.) *Alia in-*
quæ ex neglecta cura ministerii ecclesiastici haætenuis
sensit respublica & ecclesia, eadem perspicuitate descri-
bere vellemus, qua haætenuis in delineandis damnis
primariis usi sumus, & tempus & charta nos defice-
ret. Ergo ex reliquis potiora recenseamus summa-
tum saltem & quasi per indicem. Ex illis, quæ haæ-
tenuis indicavimus turbis, rixis, impudentia &c.
non potest non quotidie augeri numerus hostium &
osorum ministerii, inde occasionem arripientium, &
vitia singulorum adscribentium toti ordini. Quin &
homines ingenui & fautores doctorum veritatis sæ-
pius excitantur per injurias talium hominum inquietu-
rum, ad indignationem & diminutionem benevo-
lentiaz erga ministerium ecclesiasticum. Stipendia
academica, quæ a talibus inutilibus terræ ponderibus

*commoda &
damna plena
Reipublice
& ecclesie.*

46 DISSERT. INAUGUR. DE OFF. PRINC. EVANG.

consumuntur, aberrant a scopo, nec prosumt ecclesiæ, sed nocent. Adeoque possent ad meliores utus, & forte ad ipsa salario ministrorum ecclesiæ augenda adhiberi. Princeps, ubi milite opus habet, selectu caret alias ex superfluis rusticorum, operariorum & opificum liberis, qui jam privilegiis Academiarum tuti sunt, instituendo, & cogiturn adeo ipsos opifices ac agricultos ad bellum cogere, & sic agriculturam pariter & liberum commerciorum & opificiorum cursum sistere & impediare &c.

§. XXXIX.

*Ad damnata
ista emen-
danda non
apta sunt,
qua dicun-
tur acciden-
tia,*

Evidem firmiter mani persuadeo, initio reformationis multos politicos pios prævidisse hæc mala, ex nimia restrictione salariorum ministerii oritura; Ipsos etiam Principes eadem intellexisse. Sed cum & Principes sint homines, prævaluere tamen consilia adulatorum & osorum ministerii, haud dubie inter alias rationes etiam illam responsionis loco proferentium, quod vilitas illa salariorum suppleri posset ex accidentibus, quæ vocantur, qualia sunt nummus confessionarius, honoraria pro baptistinæ, deductione funeris, concione funebri, pro proclamatione & copulatione, aliaque, quæ recenset Carpzovius Lib. 1. Jurisprud. Consist. def. 102, seq. Ostendit vero experientia, accidentalia ejusmodi ista damna reipublicæ & ecclesiæ minime præcavere, sed potius exinde inter ipsos ministros ecclesiæ oriri dissidia, invidiam, rixas, scandala item intuitu auditorum, & resistentiam erga

erga Principem; si hic ob nimios accidentalium abusus eadem tollere velit, cum ita quasi jugulum ministerorum ecclesiæ petatur, ablatione accidentalium ad extremam pene paupertatem redigendorum. Quemadmodum vero in hoc accidentalium articulo inventi sunt ofores ministerii occasionem satis amplam bilem suam evomendi, ita tamen non putandum est, illos, qui optant, ejusmodi scandala sine detimento ministerorum ecclesiæ tolli, statim ad classem hostium esse referendos; cum ex ipsis ministris ecclesiæ utriusque religionis protestantium nonnulli reperiantur, qui prudenter & graviter de optanda magis, quam adhucdum speranda accidentalium emendatione scripsierunt, quos inter præ reliquis placet Gerhardi Widermanni Pastoris reformati apud Dantiscanos scriptum anno præcedentis seculi 93. editum, cui titulus: *Großs Diana der Epheser x. oder ein Tractälein von den Accidentien der Prediger/ ubi & solide & modeste in parte prima de necessaria sustentatione Pastorum ecclesiæ disserit, in secunda parte octo capitibus rationes prægnantes & abrogationem accidentalium urgentes fistit, denique in tertia ad objectiones pro retinendis accidentalibus responderet.*

§. XXXIX.

Cum vero nulla responsio sit fortior ad tollendas *Ernehus ex* objectiones pro retinendis accidentalibus pugnantes, *augmentatio-*
quam constitutio sufficientium salariorum, ex quibus ne sufficien-
salariorum
ministris ecclesiæ honeste & pro dignitate muneris sui ecclastico-
fe rum speran-
di,

se suosque sustentare, atque hospitalitatem exercere possent; inde simul patet, quanti fructus sint expectandi, si Principes Evangelici serio de augendis pro dignitate salariis ministrorum ecclesiæ cogitarent. Siquidem tunc non solum accidentibus istis non esset amplius opus, sed & nobiles ac divites, & excitati ingenii homines, iterum majori in copia se ad munera ecclesiastica essent applicaturi, ac sic pedentem tolleretur ista nimia affluentia vilium ac pauperum, & talium quidem, qui corruptissimis moribus sunt prædicti, ad munera ecclesiastica; ita simul evitarentur mores mali totius populi, scandala, rixæ, turbæ, atheismi practici incrementa; diminueretur contemptus ministerii, ac præscinderetur occasio irritandi animos benevolos & ingenuos ministris ecclesiæ faventes; non ita inutiliter consumerentur stipendia Academica, sed tunc ad meliores usus, & forte etiam ad ipsa augenda ministrorum ecclesiæ salario adhiberi possent; imo ipsi principes non laborarent inopia hominum robustorum, & ad militiam aptorum, sine diminutione & impedimento commerciorum & opificiorum, item agriculturæ, &c.

§. XL.

Diversa intentio oforum & defensorum statutus ecclesiastici, dum

Quæ autem haætenuis in recensendis nævis quibusdam, ministerium ecclesiasticum affidentibus, dum damna ex exigua sustentatione ministrorum ecclesiæ enumeravimus, a nobis fuere allata, nequaquam eum in finem attulimus, ut contemptum ministerii ecclesie

ecclesiastici augeremus. Nam frustra eos dissimulas- *nervos statum*
semus, qui aperti sunt, & in omnium oculos incur-
runt. Ac diversus plane noster scopus est a scopo
osorum ministerii. Hi enim, dum ejusmodi nævo-
rum mentionem injiciunt, id agunt, ut causam eo-
rum primariam ipsis imputent ecclesiæ ministris, at-
que adeo intendant, sumimas potestates, quæ doctri-
nam Evangelicam profitentur, alienandi a cura mini-
sterii Evangelici. Nos contra ostendimus, quicquid
hic peccatur a quibusdam ecclesiæ ministris, non eo-
rum, sed Politorum vitio fieri, non satis efficaciter
follicitorum, quomodo indigentia & contemptui mi-
nisterii facri succurratur, adeoque in emendatione
horum nævorum, non a statu ecclesiastico, sed a statu
Politico & oeconomico incipientum esse.

§. XLI.

Utque eo magis monstremus, nos tentare me- *Nova objec-*
*dium iter, inter odium ministerii ecclesiastici, & ejus *tio osorum*
*adulationem, non dissimulabimus objectionem, quam *ecclesiæ: a-*
facile prævideimus ab osoribus ministerii adversus ha-
etenus dicta prolatum iri. Scilicet urgebant, nequa-
quam meliorem futuram esse conditionem reipubli-
cæ & ecclesiæ, etiamsi prospiciatur indigentia mini-
strorum Evangelii per augmenta salariorum dignita-
ti status eorum sufficientia. Tela eam in rem desu-
ment ex ipsa dissertatione nostra, atque iis quæ supra
§. 28. 29. & 32. docuimus. Provocabunt similiter ad
*experientiam, a nobis ipsis concessam, quod quoties-***

G

cun-

50 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

cunque sacerdotibus & doctribus ecclesiæ prospetum fuerit de divitiis & honore, tories hi abusi tuerint istis bonis, atque populum in superstitionem, sive crassam sive subtiliorem, & atheismum practicum seduxerint, imo ipsos rectores civitatum contempserint, & tantum non eos pedibus conculcaverint. Ad dent ornandi sermonis causa vulgare, sed vetus dicterium : *Pietas peperit ecclœ dixitias & honorem, sed filia devorarunt matrem.* Ergo concludent, cum hæc ita se habeant, melius erit, rem relinquere in statu, quo sita est, quam nova mutatione nihil operari, quod Republicæ & ecclesiæ proficuum esse possit. Esto, per tenuia nimis salario eam felicitatem non esse sperrandam, quam sibi imaginati erant, imo non levia inde oriri damna ; sufficiet ad impedienda augmenta salariorum, si majora, aut certe æqualia, damna re publicæ pariter & ecclesiæ inde sint metuenda. Igitur, inquiet, omnium optimum erit, emendationem nævorum omnium & damnorum relinquere soli di vinæ providentiaz, &c. Speciosa sane objectio, sed non tanti ponderis ut ad eam non possit absque ulla difficultate responderi, & latentes fallacie ad oculum monstrari.

§. XLII.

ad quam respondetur, nos haudquaquam intendere, ut abundantia opum & divitiis, aut profusione honorum onerentur ministri ecclesiæ, sed intendimus sufficientiam salari orum

orum & honores nequaquam immensos. Esto, damna Reipublicæ & ecclesiæ, quæ nobis objiciunt osores ministerii, ex divitiis & nimia cumulatione opum & honorum orta esse. At nequaquam metuendum est, in territoriis statuum Evangelicorum rem ad ejusmodi excessus perventuram esse, aut ministros ecclesiæ talem occasionem naucturos esse, abutendi honoris & opum, ut fecerunt Sacerdotes pagani & Clerus Fontificius. Adde locum Lutheri supra §. 5. in fine, & dicta §. 10. Deinde neque divitiæ neque honores (etiam abundantes) produxerunt istos abusus supra notatos, ex natura sua, (conf. supra dicta §. 36, in med.) sed quod sacerdotes & Clerici divites facti & honora-
ti astute cogitaverint de jungendo divitiis & honori-
bus imperio, & quod regentes in republica hac par-
te non debite vigilaverint, sed ad stabilendam ope-
Clerityrannidem, hunc usum arcanorum pseudo-po-
liticorum indulserint, donec tandem tardius sentien-
tes, hac parte seipso subjici sacerdotibus, in eorum
arbitrio non fuerit amplius, imperium clero auferre.
(conf. supra §. 28.) Igitur cum non divitiæ & honores
ministrorum ecclesiæ, sed imperium a Clero Principi-
bus astute extortum ista damna Reip. produixerit, ne-
que divitiæ & honores sua natura imperium inferant,
evidens jam est fallacia hostium ministerii, damna
illa adscribentibus divitiis & honoribus ipsis,

§. XLIII.

Quod si forte pergent urgere, occasionem tamen *ut & aduersa*
G 2 *dedissem am instant.*

*tiam de Re-
publicana non
in periculum
conjicienda.*
 dedisse istas divitias & honores sacerdotibus, ut cri-
 stas erexerint & de imperio etiam acquirendo astute
 cogitaverint, & adeo Rempublicam auctis salariis &
 honoribus ministrorum ecclesiæ in periculum conji-
 ci, cum facilimus post adeptos honores & divitias sit
 saltus ad imperium; nec hæc tamen dubia ejus pon-
 deris sunt, ut rectores rerum publicarum ab augendis
 salariis ministrorum ecclesiæ deterrere debeant. Nam
 initio, si omnia essent omittenda in Republica, quæ oc-
 casionem suppedibant hominibus malæ mentis, ad ab-
 usum, etiam actiones honestissimæ forent extirpan-
 dæ, cum nihil sit tam pium & tam sanctum, unde
 homines malitiosi non sumant occasionem peccandi.
 Deinde Respublica in illud periculum non conjicitur
 per divitias & honores ministerii, sed per impruden-
 tiā & negligentiam Principum, saltum illum ad im-
 perium Clero permittentium, qui facile præcaveri
 posset, si debita attentio adhiberetur. Sed istud qui-
 dem expedire hujus loci non est. Imo ipsi fatemur,
 cautiones istas communiter esse neglectas. Ast si
 Princeps operam det, ut JCTi in Academiis doctri-
 nam juris naturalis & prudentiæ civilis, item arcana
 ortus & incrementorum potestatis Cleri Pontificii ex
 historia eruant, (nam Philosophia neque Aristotelica
 neque Cartesiana eo se extendit, & Theologi in hi-
 storia ecclesiastica exponenda respiciunt ad ortum &
 progressum articulorum fidei,) tum ista arcana brevi
 tempore ita vulgata fieri possunt, ut & opifices &
 fœminæ illa palpent.

§. XLIV.

§. XLIV.

Nil ergo amplius restat, quam ut de mediis insti-
tuatur oratio, quibus promoveri poterunt augmenta
salariorum ministerii, & sic obligatio Regentium, quam sacerdotum ec-
clesie hic non
haec tenus demonstravimus, traducatur in actum. Sed etsi hic non
uti hoc thema peculiarem dispectionem meretur, ita tractetur fa-
tamen a me non expectabas, ut hac de re sensa animi
mei aperiam. Specimen enim edo juridicum de eo,
quod justum est, non politicum, quomodo id, quod
justum esse monstravimus, obtineatur. Hæc enim
est res consilii non juris. Adde etiam, quod ita fave-
runt eductus a præceptoribus, primam regulam pru-
dentiae consultatoræ esse, consilia non scribi, nec
publice ad deliberandum & examinandum proponi.
Cum enim consilia non habeant necessarios eventus,
etiam stupidissimus & stultissimus homo dubia propo-
nere potest contra eventum consiliorum, etiam pru-
dentissimorum. Adde, quod hoc pacto occasio de-
tur hostibus ministerii, eventus impediendi. Cape
exemplum. Si quis prudentissimum consilium, v.g.
de contrahendo matrimonio, de ambiendo officio, pu-
blici juris faceret, si sane hoc ipso adversariis suis da-
ret occasionem, omnem ex ipsis consiliis speratum
eventum eludendi.

§. XLV.

Non erit tamen a scopo nostro alienum, paucis Interim o-
stendere, quod errant, qui arbitrantur, non posse stenditur, me-
hanc rem effectui dari. Sed pertinere ad jucundas dia bac non
G 3 otio- esse adeo dif-
ficultia, si mo-

54 DISSERT. INAUG. DE OFF. PRINC. EVANG.

*do ministri
ecclesie ipsi
ea non im-
pediant,*
otiosorum hominum speculations. Nihil tam arduum est, & tam difficile, (modo non sit res natura vel moraliter impossibilis, qualis haud dubie non est ea , de qua loquimur,) quod non possit in effectum deduci, si accedat industria hominum serio id desiderantium. Ergo, quod hactenus a temporibus Lutheri frustra fuerit inculcatum istud Regnantium officium, non ortum est ex difficultate exequendi, sed ex deficientia voluntatis in Regentibus, & eorum ministris. Alias nullum esset dubium, totum negotium absque ulla difficultate potuisse expediri. Ergo ministerio ecclesiastico , si velint ea in re feliciores successus sperare, ante omnia opera danda est, ut voluntatem seriam excitent in Principibus, & eorum ministris, non blanditiis indecoris, non factis injustis & impiis, sed adhibendo saltem illam prudentiae regulam , ne ipsi sine iusta causa eos, a quibus dependet executio Ihesus obligationis, irritent, vel bonam eorum intentionem intempestiva aliqua actione supprimant.

§. XLVI.

*Per reliquias
guarundam
doctrinarum
ex politica
Cleri Ponti-
ficij.*
Sunt multæ reliquiae fermenti ex Papismo politice considerato , (i. e. ex arcana imperium extorquenti principibus,) quæ remanserunt in ecclesiis & rebus publicis Protestantium, non vitio Theologorum, qui de articulis fidei salvificæ erant occupati, sed ex neglectu JCTorum & Politicorum, qui istos nævios debuissent reformatoribus, aut eorum successoribus ostendere. Hæc postquam in praxin ecclesiastico-
rum

rum judiciorum semel sunt introducta, & subinde etiam in locis communibus theologicis, in capite de magistratu politico aut ministerio ecclesiastico inculcata, & ita altiores radices egerunt, in animis docentium & discentium, postea acerrime, & saepe cum exorbitante affectu solent defendi a doctoribus, adversus eos, qui meliora edocti, reliquias illas papales modeste ostendunt, idque nequaquam cum horum damno, qui post veritatis indagationem & indicacionem, officio suo functi, tacent, sed cum damno ipsius ministerii ecclesiastici, quod per ejusmodi disputationes nihil acquirit, nisi ut hostes ministerii inde occasionem surmant, regentibus persvadendi, ne eos, qui in paupertate & honoris parentia sic publice declarant, quod instar imperatoris Bassiani Caracallæ illud, ô si liceret! in pectore foveant, expeditatis instrumentis divitiarum & honorum adjuvent, ut eo facilius ad optatum scopum pervenire possint. Ergo velim, a talibus doctrinis earumque defensione abstineri, aut Politicis non vertere vitio, & ipsi in cura fovendi ministerii frigescant.

§. XLVII.

Atque hic quidem plura dari possent specimena *v.g. De hoc*
taliū doctrinarū, si non ad finem properandum nis ecclie,
effet. Sufficiat hic duo saltem exempla tradidisse, non seculari-
propius ipsam materiam præsentem attinentia. Ita satis-
notum est, a nostris etiam Doctoribus communiter
defendi,

defendi, bona ecclesiastica esse divini juris nec posse secularisari, & Principes Evangelicos talia bona possidentes esse detentores malæ fidei, & obstrictos, ut ea ministris ecclesiæ restituant. Hic quidem optandum esset, Principes Evangelicos plura bona ecclesiastica reliquissæ ministris ecclesiæ, nec laudandi sunt illi, qui id non fecerunt: interim illa doctrina de prohibita secularisatione, de rebus divini juris &c. valde olet arcana Politicæ Clericalis in Papatu (ut latius post Conringium ostensum fuit in *dissert. inaugur. de natura bonorum secularisatorum* sub moderamine Dñ. Præsidis habita) & ministri ecclesiarum nostrarum nihil ex inculcatione talium doctrinarum lucrantur, quam ut obturent fontes benevolentiae Principalis, ac curam sublevandæ eorum indigentiae. Neque enim, credo, sibi persuadebunt, quod tales disputationes ex sint efficacia, ut vel unicum ex bonis, etiam parum laudabiliter secularisatis, reducturæ sint ad ærarium ecclesiasticum.

§. XLVIII.

Et precedens tias auus ecclesiastici praopolitico. Ita porro notum est, sæpe controversiam super præcedentia & honore intercedere ministris ecclesiæ cum senatoribus urbicis, & varia legi ea de re possunt consilia Theologica apud Dedecknum. Hic equidem recte solet afferri, ministros ecclesiæ non esse ministros senatus seu Patronorum, nec male urgetur dignitas ministerii, anteferenda dignitatia senatoriæ.

toriæ. Sed illud tamen mallem, non tam sæpe & iterato inculcari, quod dignitas ministerii emineat omnes dignitates in Republica, & quod per tot secula recepta divisio statuum præcipuorum (der drey Hauptstände) in Ecclesiasticum, Politicum & Oeconomicum (in Lehr-Wehr- und Nehr-Stand) istam eminentiam probet, quodque propterea in nostris ecclesiis etiam ministri ecclesiæ non solum soleant, sed & in conscientia obligati sint, dum tempore novi anni bona vota dicunt, ut primo loco bene optent ministerio ecclesiastico, tum demum Regi & ministris &c. Uti enim hic medius terminus plus probat quam probare debebat, cum hoc pactò ministris ecclesiæ non saltem præcedentia deberetur præ senatoribus, sed & consulibus, imo ipsis regibus, quod tamen non prætendunt; ita vel levis saltem meditatio non difficulter ostendere potuisset, istum ordinem trium statuum oecumenicorum esse inventum politicæ Papalis ad subjiciendos principes clero inserviens, adeoque inculcationem ejusmodi doctrinæ nil aliud prodesse ministerio ecclesiastico, quam ut bilem moveat principibus, eorumque bonas intentiones erga ministros ecclesiæ suffocet. Unde & plerique ministri ecclesiæ Evangelicæ hodierni, tanquam in teculo magis decoro viventes, magis decorum esse arbitrantur, si tempore novi anni prima vota voveant pro principe & magistratu politico.

*Sinceritas
& utilitas
borum mo-
nitorum.*

Proferri autem a nobis talia monita animo optimo vel exinde constat. Hostes ministerii non magis ipsis nocere poterunt, quam si sub simulatione amicitiae eos urgeant, ne latum unguema doctrinis ejusmodi discedant, sed potius in earum defensione cœlum & terram moveant. Quodsi id faciant doctores Evangelici, in sinu gaudent osores eorum, cum hoc pacto amplissimus se offerat campus, avertendi benevolos principum animos a ministerio ecclesiastico, & huic destinatam liberalitatem abducendi in loculos proprios. At nostranilinterest, sive maneat doctores Evangelici in defensionibus ejusmodi sententiarum, sive desistant. Neutro casu vel obulum lucramur aut perdimus, sed potius modum ostendimus evidentem & palpabilem, quo observato ministri ecclesiæ spem habeant, obtinendi aliquando desideratam tamdiu sublevationem suæ indigentiaæ, & auferendi osoribus suis omnem nocendi occasionem.

L.

*Aliud moni-
tum de mo-
do collectan-
di apto &
facili.*

Quoad modum consilii & illud monendum est, inveniendum esse medium augendi æraria ecclesiastica, quod nec oneret populum, & non excutiatur a singulis invitis, sed quod parum sentiatur ab iis, qui augmenta illa præstant, & tamen valde augeat fiscum ecclesiæ, ita ut ad minimum intra decennium vel viennium Principis intentio obtineat effectum. (Neque

que enim debet esse modus perpetuus, ne ex sufficientia fiat divitiarum abundantia.) Subrides, & me jocari afferis, cum tales modi collectandi fere in singulis verbis contineant contradictionem Politicam, neque adeo in praxim possint deduci. Ego vero doleo miseriam studiorum tuorum, consilia pro ærario ex Jctorum voluminibus absque subsidiis prudentiæ civilis petentium. Talia, uti descripsi, debebant esse regulariter omnia collectandi consilia. Et tantum abest ut tales modi sint inventu difficiles, ut potius nunquam desit eorum copia iis, qui vel obliquis saltē oculis inspexerunt prudentiam restringendam.

§. LI.


Ex pluribus igitur jam unicum exempli loco *qui declaratur suppeditato ex parte exemplo valde commode.* proferamus. Notum est, quantas divitias acquisiverit Clerus Pontificius per arcanum illud, quod persuaserunt divitibus neminem posse salvare, nisi moriatur in præsentia Clerici, & ab eo suscipiat sacramentum extremaeunctionis &c. Latebat iub hoc arcano, ut nullus dives moreretur ad minimum sine legato ad pias causas. &c. Nostræ ecclesiæ non quidem inculcant, neminem posse beate mori sine præsentia ministri ecclesiæ, sed tamen rem decentem & bonam esse pie docent, si quis tempore mortis consilio & precibus ministri ecclesiæ utatur. Etsi vero pudor ministrorum nostrorum multos impedit, ne se immisceant testamenti factionibus & legatis, credo

H. 2

tamen

tamen, subinde admonevi dñites, ut ex abundantia sua succurrant inopis ecclesiæ. Et tamen exiguo sex istis adhortationibus sentimus fructus. In promptu causa est. Non credendum est, Laicos Pontificios esse magis pios, quam sunt Protestantes. Sed Pontificiū timent usutiones purgatorii, & ad has redimendas tam proni sunt ad legata piarum causarum. Nostri non timent, quia purgatorium non credunt. Quid ergo? An articulus de purgatorio auferendus erit confessioni Protestantium? Absit. Sed principiū Evangelico sunt remedia, duritiem dñitum flectendi prudentibus legibus in commodum ministerii ecclesiastici. Nota est lex Augusti de vicesima testamentaria. Damnant eam communiter Jcti, etiam nostrates in consiliis pro ærario. Sed incaute damnant, non sentientes videlicet, scriptores Pontificios, quorum consilia transtulerant in locos suos communes, eam legem increpare, ne Principes penetrerent in arcana reservata Cleri Pontificii. &c. Quid si ergo princeps Evangelicus ad augenda salario ministrorum ecclesiæ legem condat, vel per vicennium observandam, ut ex singulis hereditatibus sive ab intestato, sive testamentiariis detrahatur? Sed vela contraho, cum pene oblitus fuisset; quod superius §. 44. inculcaverim, maximum arcanum consiliorum in eo confidere, ut maneat arcanum.

F I N I S.



94 A 7390

94 A 7390



gb

Retro

VGA

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



23

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA,
DE
**OFFICIO
PRINCIPIS EVAN.
GELICI CIRCA AUGENDA SA-
LARIA ET HONORES MINI-
STRORUM ECCLESIAE,**
QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO,
ET DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNATORE, &c. &c. &c.
PRAESIDE
DN. CHRISTIANO THOMASIO, JCto,
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ
Consiliario, Professore Publico Ordinario,
ac Facultatis Juridicæ p.t. Decano,
IN ALMA FRIDERICIANA
PRO LICENTIA
Summos in utroque Jure honores & Doctoralia Privilegia
rite capessendi
IN AUDITORIO MAJORI
Horis ante & pomeridianis d. 4. Novembr. Anni M DCC VII.
Publico Eruditorum examini submitteret,
JOHANNES de GROIN, Clivo-Clivensis,
HALAE MAGDEBURGICAE, LITERIS SALFELDIANIS.

(xxij.)